



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

LXXXVIII. Certum est, quod is committat in legem, qui legis verba
complectens, contra Legis nititur voluntatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)



REGULA LXXXVIII.

Certum est, quod is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

Quæres 1mo. Quis hujus Regulæ sensus?

2. Contra legem delinquit, quisquis solummodo verba legis, & non sensum à Legislatore intentum observare studet. Ratio clara est: quia leges non in verbis, sed in verborum sensu per verba significato, non in superficie & cortice, sed in medulla consistunt, scire namque leges non hoc est: verba earum tenere, sed vim & potestatem. *L. scire 17. ff. de legib.* ideo pœnas infertis non evitabit, qui se contra Juris sententiam lævâ prorsus verborum fraudulenter excusat. *L. non dubium est. §. C. de legib.*

Quæres secundo. Quæ Regulæ Exemplum?

1. Sequentia: 1^{um} Theologicum est: Lex Ecclesiæ diebus Dominicis & Festis Sacrum audire præcipit, cui non satisfacit, qui Sacerdotis celebrantis sola verba audit, nec tremendo huic Sacrificio cum debita attentione & devotione assistit. Item lex Ecclesiæ semel in anno confiteri, & in Paschate Sacram Eucharistiam sumere jubet, his Præceptis per sacrilegam Confessionem

& Communionem non obeditur, ut constat ex propositionibus in hac materia damnatis.

2^{um}. Juridicum est: Magistratus tempore caritatis annonæ prohibet, ne frumenta extra Patriam evellantur, in hanc legem peccat, eique fraudem facit, qui farinam frumentorum in alium locum transfert, legis enim intentio est subditorum succurrere necessitatibus, & potius suorum, quàm extraneorum sublevare indigentiam, iterum maritus, qui uxori donare tam Civili quam Canonico Jure prohibetur, legi non obedit, si rem suam uxori vendat, eique post emptionem pretium remittat, aut si Sponsus det mille Titio, ut summam acceptam Sponsæ suæ post celebratas nuptias tradat. *L. si Sponsus 5. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

3^{io}. Exempla Canonica sunt: electus in Prælatum per Canones ante confirmationem administrare non potest, contra hos Canones peccat electus, si se in Oeconomum usque ad confirmationem constitui permittat, aut procurret. *Cap. avaritia. §. de elect. in 6.*

in 6. Item Clericus pro beneficio Ecclesiastico pecuniam vel aliud temporale Patrono vel Collatori ante præsentationem vel collationem offerens aut promittens non ut pretium, sed

ut purum donum gratuitum à Simoniacâ pravitate non excusatur juxta propositionem 48. ab Innocent, XI. damnatam.

C A S U S.

Ad utramque Regulam.

Zelandus ex illustri Familia perditus Juvenis militiæ nomen dat, ex qua quia fugitivus, nomen ejus Berlini patibulo affigitur. (A) Utque sustentationem habeat, se feci hominum, quos Zichenos vocant, confociat. (B) Vitæ istius pertæsus, apud histrionem mutato nomine servitium assumit. (C) Postquam in hoc servitio plurima scelerâ, furta, adulteria &c. perpetrasset, & ob hæc in vincula conjectus ad furcam damnatus esset. (D) Fugit ex carcere in patriam reversus nomen familiæ domi assumit. Parentes de reditu filii, quem mortuum credebant, gaudentes, eidem ad sacros Ordines anhelanti in Ecclesia Metropolitana præbendam muneribus procurant. Ante la-

teros Ordines in confessione generali totam antea vitæ seriem Confessario exponit, qui angitur, an Zelandro, quod sit irregularis, ideoque S. Ordines suscipere non possit, exponere debeat (E) respondet pœnitens: quæ tibi confessus sum, fecit Zelandus, quod nomen assumpsi, ut familiæ parcerem, & esto Zelandus infamis sit infamiâ juris & facti, non tamen ego de tam illustri domo Comes. (F) Nihilominus Comes Ordines suscipit, in quibus exterius Angelicam vitam degit, revera tamen in antiquis sceleribus vivens: religiosis largas facit Eleemosynas, qui cum vacante Decanatu propter exterram virtutis speciem omnibus dilectum impensè commendare student. (G)

R E S O L U T I O.

(A) **P**er sententiam mortis ob per-fugium in nomine ejus executioni mandatam juris incurrit infamiam, non enim illam nomini, sed personæ nomen tale gerenti, sive verum, sive falsum fuerit, infligitur.

(B) Per associationem cum Zichenis facti infamiam incurrit, quia omnes illi infamiâ plurimorum criminum laborant, ob quam modò à Principibus territorialibus ubique exterminantur.

(C) Per exercitium apud Histrion-

nes

nes infamiam Juris ipso facto ante
Judicis sententiam contraxit.

(D) Propter scelera plurima con-
demnatus ad furiam infamiâ Juris &
facti est notatus.

(E) Ideoque nec ad sacros Or-
dines, nec ad præbendam in Eccle-
sia Metropolitana promoveri potest,
quamvis enim infamiam facti emen-
datione vitæ valeat abolere, infami-
am tamen Juris abstergere nequit.

(F) Hac Comitis responsio re-

probat per *Regulam* 88. legis si-
quidem intentio est, ut tales per-
sonæ sub quocunque nomine à di-
gnitatibus arceantur.

(G) Demum per *Regulam* 87. ad
speciem Angelus veluti infamis & si-
moniacus ad Decanatum est indi-
gnus, nec rerum omnium Condito-
ri DEO, cujus oculi semper sunt
aperti super facientes mala, renesque
ac corda scrutatur, sed sibi ipsi mi-
ser & calamitosus imponit.

Totius Operis

F I N I S.
O. A. M. D. G.



INDEX